

## DOMINICA QUINTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. VII, VERS. 11

11. Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.  
 12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ; et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.  
 13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.  
 14. Et accessit, et tetigit loculum; hi autem qui portabant, steterunt, et ait: Adolescens, tibi dico, surge.  
 15. Et resedit qui erat mortuus, et cepit loqui, et dedit illum matri suæ.  
 16. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

VERSUS 11.

*Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.*

*Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim.*

1. — Salmeron mysticam miraculorum Salvatoris seriem considerat, quia ne forte aliquis opponere posset, quod lepram, morbum natura sua incurabilem, verbo et tactu mundare, miraculum sit non valde considerandum, ideo paulo post miraculum edidit longe excellentius, servum Centurionis moribundum, etiam procul absentem, solo vocis suæ imperio sanando; denique, ne quis calumniari posset, quod, si hic mortuus fuisset, nequiverisset illum revocare ad vitam, præsens operatus est miraculum, viduæ filium mortuum resuscitando: « Et hoc minime rogatus, ut ostenderet se Dominum vitæ et mortis. »  
 2. — Jansenius Naim civitatem quamdam parvulam fuisse scribit, adeoque Filii Dei admiratur benignitatem, qui hoc prodigium edidit: « Volens etiam hanc, quamvis humilem et obscuram, præsentia sua, doctrina et miraculis illustrari. »  
 3. — Haymo in sensu morali dicit: « Naim motus vel commotio » interpretatur, et ideo mundum significat, qui mari assimilatur, quod in continuo motu existens, agitur a ventis, et continuo subjacet fluxui et refluxui: *Hoc mare magnum*. In hac sensum et appetitum nostrorum commotione, animæ ad mortem usque infirmantur, *Isa.*, lvi, 20: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*  
 4. — In textu Hebraico, ut videre est apud Cornelium a Lapide, Naim idem est, quod « jucunda, decora, delectabilis, » in hoc igitur loco extinctus est hic juvenis, quia delicie et voluptates, ut plurimum, magnes quidam sunt infirmitatum; sic filius Reguli ad mortem infirmabatur in Capharnaum, que dictio juxta Hugonem Cardinalem interpre-

tatur: « Villa consolationis et pinguedinis, » et per hanc « denotatur causa morbi, id est, peccati; » scilicet abundantia temporalis. » Et ideo quod Apostolus de vidua quadam dixit, nos quoque de qualibet anima christiana asserere possumus: *Quæ in deliciis est, vivens, mortua est.* I *Tim.*, v, 6.

*Et ibant cum eo discipuli ejus.*

5. — Albertus Magnus inquit: « Ut ex factis Domini exemplum acciperent, ut apud Dominum pro peccatis intercederent. » Debebant ipsi etiam discipuli, post Christi in celos ascensionem, ad imitationem Magistri sui, variis mundi partibus vestigia imprimere beneficentiae et prodigiorum suorum, a se patrandorum; vel etiam cum Salmerone dicere possumus: « Ut stelle quædam nobis » solem sequi videntur, ita discipuli Christum; et « ut dicitur in *Prov.*, xiii, 20: *Qui cum sapientibus » graditur, sapiens erit.* »  
 6. — « Discipuli ejus, » ait Albertus Magnus in sensu spirituali, « sunt omnis congregatio beatorum. »  
 7. — Didacus Stella scribit: « Observa, quod prius eunt discipuli, et statim post illos turba multa, et non id mysterio vacat, nam quando Prælati Ecclesie priores Christum sequuntur, statim post illos sequuntur subditi et inferiores. »

*Et turba copiosa.*

8. — Lyranus tradit, Christum ab hac sequaci voluisse stipari multitudinem, et supra hujus miraculi spectatrix et testis oculata fieret. Glossa in eodem quoque sensu ait: « Multi cum Domino et multi cum vidua, ut viso miraculo multi Dei laudatores et testes fierent. »  
 9. — Dionysius Carthusianus in turba viros, mulieres, pueros et senes fuisse notat: « Nam propter Christi sapientiam, eloquentiam, sanctitatem et præcipue propter incomparabilem

« excellentiam suam in operationibus miraculorum, plurimi sequebantur eum. » Salmeron aliquos illorum, Christum secutos fuisse existimat, ut sanarentur ab infirmitatibus suis, alii ut se per sequelam suam gratos exhiberent pro beneficiis receptis, alii per ejus sapientiam, alii per curiositatem allecti: « Et Christus omnes virtute sua trahere bat, ut testes essent tanti miraculi et suscitarentur » in anima spiritualiter. »

**Additiones.**

a. — *Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim.* Naim erat Galilææ civitas non valde magna, prope Capharnaum, consistens ad radices montis Hermon, in latere aëquilonari, quam torrens Lison alluit, distans a monte Thabor duobus milliariibus. Naim, ut docent Haymon et Hugo, interpretatur motus, vel motio. Accommodatius tamen dicemus cum Barrado et Cornelio a Lapide, quod Naim hebraice idem sit quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis. Nunc vero in civitate hac tam jucunda, tam amena, adolescentis hujus mors accidit, qui etiam in flore suæ ætatis cecidit, quando fertilitate loci frui incipiebat, in manifestum argumentum quod hujus sæculi voluptates et delicie vix capiuntur ac degustantur. Omnis enim mundi consolatio est ficta, apparens, instabilis, merore perfusa et remorsu. Israeli terram promissionis possessuro, Deus ad nostram instructionem dixisse scribitur: *Terra ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Egypti, de qua existi.* *Deuter.*, xi, 10. Quæ igitur Palestinam inter et Ægyptiacum solum erat differentia? Ecce vobis: *Ubi factio semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irrigue.* Ægyptum namque cœlestes non recreabant pluviae, sed per artificiales aquæductus. Nilus, paludes, aliæque fosse dirigebantur per agros. Ast terra Chanaan, de celo expectans pluvias, quas Dominus Deus tuus semper inivit; et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. Ecce vobis differentiam inter veras consolationes spiritus, quas Deus suis et fictas falsasque quas suis mundus impertit sequacibus; hi consolationes, gustusque suos, in turbidis sensualium voluptatum undis, in vindictis, in avaritiis, in crapula, in ebrietate, in pompa, in fastu humano et ludis querunt: *Poderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et nunc quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam?* *Jerem.*, xv, 18. Servi autem Dei, qui visus terra promissionis, paradisiacarum dulcedinum, lacte et melle fluens promissa est, de celo expectans pluvias, hi stabiles, verasque suas in Deo fundarunt lætitiis, nullas nisi dependenter a Deo admittentes consolationes, quemadmodum Philippenses his verbis adhortabatur Apostolus, *Phil.*, iv, 4: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete: Dominus enim prope est.* S. Hieronymus ad Licinium scribens, citate

quodammodo æqualem statuit differentiam tum Pentapolim Jerosolymæ opponens, dicit: « Ne campestris cum Loth et amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur de celo, ut terra sanæta, sed de lutooso flumine Jordanis. » Et S. Augustinus ait: « Quale gaudium potest habere conscientia illa, in cuius anima multis vitis occupata, potius « diabolus probatur habitare quam Christus? »

b. — Civitas hæc non incongrue animam nostram præfigurare potest, cujus nomen est Naim, id est, pulchra seu formosa, facta est enim ad imaginem et similitudinem Dei. Adeo excessiva est, ob divine similitudinis rationem animæ pulchritudo, ut inimicus infernalis eadem allectus, illam omni conata possidere satagat. Unde Origenes ait: « Vide ejus decoris, cujus pulchritudinis est anima, quæ imaginem habet et similitudinem Dei. Hanc pulchritudinem contrarie potestates cum aspiciunt, id est, diabolus et angeli ejus conspiciunt speciebus ipsius, qui quia non possunt sponsi ejus fieri, meretricii cupiunt cum ea. » Similitudo autem quam anima cum Deo habet, hæc sola est quæ tantam ei pulchritudinem conciliat, eaque in divina charitate consistit. Unde S. Bernardinus de ipsa dicit: « Si charitate anima privatur, deformis est. Charitas est animæ pulchritudo, sicut ignis pulchritudo carbonis, qui cum est ignitus, splendidus est et pulcherrimus, ignique simillimus. » Demon autem divinum lucem ignem in nobis extinguere ejusque loco suum in nobis ignem accendere satagit.

c. — Civitas Naim, quæ est anima nostra, tunc vere in se defunctum quemdam habet, quando illa pulchritudo et similitudo quam habet cum Deo, per peccatum perditur. Ille vero defunctus tunc effertur, quando per confessionem emundata, rursum pulchra et decora apparet in conspectu Dei. Nimio peccatorum suorum pudore ductus, nobilis quidam Romanus S. Philippo Nerio generalem detrectans vitæ suæ facere confessionem, eamdem apud alium Sacerdotem rite cepit et perfecit. Quo facto ad S. Philippum reversus, hoc ab eo recepit responsum: *Etiamsi tua mihi peccata confessus non fueris, singula nihilominus Deo revelate didici.* Moxque idem Sanctus subjunxit: *Faciem tuam mutasti, optimam indutus formam; id quod Sanctus peccatoribus dicere solebat, a peccati ad gratiæ statum reversis. Hæc autem interna animæ venustas in exterioribus quoque relucere solet, id quod serena, nimiumque jucunda multoties evincit servorum Dei facies et figura.* *Isa.*, i, 16: *Levami, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, inquit Dominus.* « Non corporis abluitionem, » ait S. Laurentius Justinianus, « sed animæ, Dominus commendat, præcipitque munditiam; aqua namque que corporales abolet maculas, spirituales vero « delictorum confessio salutaris. » Experientia



teste quotidiana, eo facies nostra mundior est atque venustior, quo abluitur frequentius. « Eo quoque facies animae, » subdit idem Sanctus, « fit « mundior, quo magis abluitur; » ideoque prae caeteris Deo dilectæ, atque immaculatæ animæ confessionem maxime frequentare assolent, *Psal.* xv, 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimoniam et magnificentiam in sanctificatione ejus.* Necdum tamen a tota faciei allusione digressus beatus, ita prosequitur discursum : « Sordes quippe « corporis aqua, cordis autem contritio diluit « et confessio. »

**d.** — Haymo Episcopus, nomen civitatis *Naim*, in morali sensu explicat et dicit : « *Naim*, motus « vel commotio interpretatur, ideo mundum signifi- « ficat qui mari assimilatur, quod in continuo motu « existens, agitur a ventis et continuo subjacet « fluxui et refluxui : *Hoc mare magnum et spatio- « sum.* *Psal.* cii, 23. » S. Antonius de mari dicit : « Continuo fluctuat, plus tamen et minus, secu- « dum tempora varia, propter quod dicit, *Psal.* « xcii : *Mirabiles elationes maris.* Sic homines, « Mundi fluctuant continuo diversis affectibus et « passionibus. Aliquando in altum ascendunt digni- « tatis. Aliquando descendunt in profundum dejec- « tionis et vilitatis. *Cor impij quasi mare fere- « quod quiescere non potest.* » S. Joannes Damascenus in discursu, quem Barlaam ad Josaphat proposuit, ita ipsum discursus dicit : « Animadvertite quem- « admodum tyrannus hic ac turbulentus mundus « homines tractet; eos nimirum huc atque illic « invertens, hoc scilicet ex opibus ad egestatem, « illos rursus ex gravissima paupertate ad gloriam. « Hos e vita duccens; illos rursus eorum loco in « vitam inducens. Sapientes quosdam et ingeniosos « veros improbos, ac relictos, eosque qui in « honore et splendore erant, contemptos et despi- « cabiles reddens. Alios contra insipientes ac « stolidos in gloria thronum collocans, eosque « qui abjecti et obscuri erant, ita vehens ut ipsis « ab omnibus honor tribuatur. » S. quoque Augu- stinus, in sermone quodam aliam quamdam mundanorum considerat inquietudinem, inguens : « A vobis temporalia nec sperari aliquando desinunt « et tamen crebro sperata vos fallunt; nec cessant « vos inflammare ventura, corrumpere venientia, « torquere transuentia. Nomen ipsa sunt quæ con- « cupia inardescunt, adepta vilescent, amissa « vanescunt? »

**e.** — *Naim* hebraice idem est quod pulchra. Unde Noemi socrus Ruth, defunctis filiis ac marito, fletus dicebat : *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde me replevit Omnipotens.* *Ruth.*, i, 20. Tantus ergo matris luctus contigit in hac civitate tam jucunda et amœna, ut auctor esset dolor, quam si accidisset in alio loco agresti, ac rustico; maxime enim animus crucia-

tur consideratione ac visione alicujus boni, quod perdidit, ac amittit. Hic reflecte mentem ad penas damnatarum, quæ multum angebuntur propter invidiam, quæ exagitantur ob heatorem gloriam, de tanto bono amisso perpetuo dolentes. *Sop.*, v, 2: *Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperij. Nos insensati! vitam illorum æstinabamus insaniam. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.*

## VERSUS 12.

*Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.*

*Cum autem appropinquaret portæ civitatis.*

**1.** — Hoc miraculum juxta portas urbis patrare voluit, ut tanto facilius propagaretur, olim enim juxta portas publici celebrabantur mercatores, considebant iudices, cause agitabantur, ipsaque tribuna- lia aperta erant.

**2.** — Venerabilis Beda a Glossa citatus in sensu allegorico ait : « Cum Verbum caro factum, genu- « lem populum per portas fidei ad celestem Jeru- « salem induceret, ecce Judaicus populus minor « propter perfidiam, defunctus affertur, quem ma- « ter Ecclesia, nil in mundo quasi proprium possi- « dens, multis populorum turbis circumseptæ, a pio « affectu plorat et ad vitam piis lacrymis revocare « laborat. »

**3.** — Didacus Stella in sensu morali dicit : « Portæ civitatis appropinquat, quia porta, per « quam egreditur mors, ingreditur vita, nam con- « sensu voluntatis mortuus es in peccatis et eodem « consensu respiscere debes et idcirco sine con- « tritione, postquam peccasti, salvus fieri non « potes. »

**4.** — Venerabilis Beda pariter in sensu morali, per hanc portam sensus nostrum intelligit, quibus mediatis additum in animam habet mors spiri- tualis : « Porta civitatis quæ defunctus efferebatur, « puto aliquem de sensibus esse corporis, qui enim « seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem « in excelsis loquitur, per oris portas extrahitur « mortuus. »

## Eccæ.

**5.** — S. Antonius de Padua ait : « Nota, quod « ecce est adverbium admirationis; » Dionysius Carthusianus, licet ad aliud propositum, dicit : « Ecce « ait Evangelista, id est, advertite, considerate, « attendite; » etenim compassione dignum specta- culum erat, videre extinctum juvenem quendam

matris viduæ unicum filium, in optimo annorum flore deferri ad sepulchrum; ecce ubi nostræ terminentur delectationes! etas floridissima, paren- tum delicia, spes familie, in feretro clauduntur omnia.

**6.** — Videtur etiam, Evangelistam hac dictione dicere voluisse, eventum hinc inexpectatum fuisse, verumtamen quod nobis casus videtur esse fortui- tus, sapientiæ Dei, divinæ est providentiæ scopus. Titus Bostrensis ait : « Factum est hoc non casu, sed « summo judicio summaque sapientia, » etenim Christus in hoc itinere, unum intendebat resuscitare corporaliter, sed spiritualiter innumeros, prout ex ultimis Evangelii verbis colligitur.

## Defunctus.

**7.** — Tametsi ut omnes sacri Doctores commu- niter attestantur, Filius Dei, quod in terris nobis convixit, multis defunctis vitam restituerit, « tres » atamen « mortuos, » inquit S. Augustinus, « inve- « nimus a Domino resuscitados visibiliter, millia « invisibiliter; mortuos autem quot visibiliter sus- « citaverit, quis novit? » de tribus tamen mortuis solum distinctam in Scripturis memoriam remanere voluit; nimirum de Lazaro, filia Archisynagogi et hoc filio viduæ; hunc foris extra domum suscita- vit, filiam in domo, Lazarum in sepulchro. *Omnia in figura contingebant, in his namque defunctis, vari- « eorum qui spiritualiter pereunt, status represen- « tantur.* S. Augustinus ait : « Sicut tribus gradibus « ad peccandum pervenitur, suggestionem, delecta- « tionem, consensum; ita ipsius peccati tres sunt dif- « ferentiæ, in corde, et facto, et consuetudine, « tanquam tres mortes; una quasi in domo, id « est, cum in corde consentitur libidini; altera jam « prolata quasi extra portam, cum in factum pro- « cedit assensus; tertia, cum vi consuetudinis malæ « tanquam mole terrena premitur animus, quasi « in sepulchro jam patiens; quæ tria mortuorum « genera, Dominum suscitasse quisquis Evangelium « legit, agnoscit. » S. Ambrosius ait : « Adam de « terra portatur a quatuor elementis, unde homo « constat; » hæc enim quatuor omnes hominem, in via hujus presentis vite, portant ad mortem; hæc vita nostra nihil est aliud quam continua mors quedam. Sic enim Apostolus eam nominat, *Rom.*, vii, 24, dum ait : *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Idem S. Ambrosius, de *ben. mor.*, ix, ait : « *Ista regio plena est « mortuorum, quia plena delictorum, meritoque « dictum est : Relinque mortuos sepelire mortuos « suos.* An non mortuorum hæc regio, ubi umbra « mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mor- « tis? » S. Augustinus, *lib.* IV *conf.*, xii, similiter in Confessionibus suis dicit : « *Vitam beatam queritis « in regione mortis? Non est illic, quomodo enim « beata vita, ubi nec vita? »*

**8.** — Enimvero effrenes appetitus nostros illos esse, qui nos ad sepulchrum portitores deferunt, S. Ambrosius his verbis evidenter demonstrat, *lib.* V *in Luc.* : « *Quid enim aliud nisi quasi in quodam « feretro, hoc est, supremi funeris instrumento « jacemus exanimis, cum vel ignis immodica « cupiditalis exesuat, vel frigidus humor exun- « dat, vel pigra quadam terreni corporis habita- « dine, vigor habeatur animorum, vel concreta « noster spiritus labe, puræ lucis vacuus mentem « alit? Hi sunt nostri funeris portitores. »*

## Efferebatur.

**9.** — Ex hoc verbo, Judeos sepulchra sua extra civitatem posita habuisse deducitur, unde Salme- ron ait : « *Pondera autem verbum efferebatur, est « enim efferre extra ferre; nam olim defuncti « extra domum et civitatem, tam Gentiles quam « Judei sepeliebantur; » ne videlicet ex putrefac- « tione cadaverum, habitatio hominum inficeretur; « opportunus igitur hic locus est mediandi hujus « corporis nostri putridam saniem, quod ab anima « derelictum, nihil est aliud, quam saccus quidem « stercorum, seu mucor sterquilini, ad agrum im- « pinguandum elatus. Ecce ubi hujus delicie terminentur, quam ne suis volutabatibus et delictis « pervenire, nos Dei inimicos reddere parum cura- « mus, siquidem, *Sapientia carnis inimica est Deo.* « *Rom.*, vii, 7.*

**10.** — « Effertur mors corporis extra domum ad « tumbam tumulandi, » inquit Albertus Magnus, ne « fetore corruptat appropinquantes; » quotidiana enim experientia videmus, quod etiam proxime sanguine conjunctorum et charissimorum cada- vera, e domibus elata, ad cœmeteria subito effe- rantur; et ne fetore suo alios inficiant, lacero cuicidam involvantur linteaminibus.

**11.** — Idem Albertus ait : « Effertur, ut tuam « moveat misericordiam publica miseria; » usitata sunt in Ecclesia solemnes mortuorum exequia, quas numerosæ religionum turbe per vias publicas, ardentibus manibus suis facies portantes associant, dum interea cadaver in edito loco, in conspectu omnium expositum reponitur, omnibus conspicien- dum; hæcque ratione non modo compassionem excitet precæque et suffragia fidelium ab omnibus exposcat; verum etiam ut omnes præsentem mo- neat, ut attente videant et considerent, quis sit finis deliciarum, divitiarum et honorum, qui tanto- pere nos alliciunt et seducunt, *Psal.* cxiv, 4, et, *Psal.* ix, 8 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in ter- ram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum; perit memoria eorum cum sonitu; cum sonitu enim et strepitu campanarum, omnium illorum me- moria evanescit. Porro antiquorum Gentilium finis, qui magnatum et regum cineres, in modica qua- dam urna collectos, super excelsas moles, mau-*



solea, pyramides vel columnas collocabant, hic erat, ut ad illorum conspectum omnia a mortaliu cordibus pelleretur ambitio, videndo, quis esse desideratarum dignitatum et monarchiarum finis, nimirum modicus pulvis, isque in summitate, ventorum ludibrio expositus, *Psal. 1, 4: Tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.* David post omnes suas victorias, post tot thesaurorum possessiones, post tot regnorum comparationes, tandem conclusit: *Gloriam meam in pulverem deducam.*

**12.** — Albertus Magnus, *Serm. lxx*, in sensu morali inquit: « Per defunctum, qui ad portas civitatis effertur, quilibet peccator intelligitur, cujus peccata ad hominum notitiam pervenerunt, manifeste quippe peccare, est portari ad portam civitatis. » Juxta Bedæ porro sententiam, elatio hæc « significat hominem lethali criminum funere « soporatum, eandemque insuper mortem, non « cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum « notitiam, per locutionis operisque indicium pro- « palantem. »

#### Filius unicus.

**13.** — S. equidem Lucas, qui eadem cum perfectione calamum tractavit et penicillum, vivacius nunquam singulas hujus historie circumstantias nobis representare potuisset, verbis singulis suum habentibus annexum mysterium. S. Bonaventura inquit: « Major etiam erat luctus, quia erat unigenitus, de quo fit plangit tanto amarior, quanto « erat charior. » Virilis non imbecillis sexus erat, quia ut S. Gregorius Nyssenus inquit: « Jam nuptiale tempus advenerat, stirps videbatur generis, « ramusque successionis, baculus senectutis et « ætatis incrementum. » Præterquam quod mares nomen et familiam suam sustentent et propagent, femine vero ad alias diversas transferantur familias. Lucas Brugensis scribit: « Unigenitus, quod « amplius est quam unicus, nullos enim alios « unquam liberos genuisse significatur, nec faciles « alius luctus major est eo, qui est de morte unigeniti; » id quod idem Auctor probat ex illo Jeremie, vi, 28, textu: *Idcirco unigeniti fac tibi plangitum amarum.* Et Zacharie, xii, 10: *Ut doleri solet in mortem unigeniti.* Aliam materni doloris causam observat Salmeron, inquit: « Erat unicus sen « unigenitus, nam quando plures sunt, amor spargitur, et uno mortuo, non tam vehementi dolore « discernantur parentes, quia manent alii. »

**14.** — D. Chrysostomus in epistola quadam ad Olympiam ita scribit: « In adolescentibus majus est « naturæ incendium, major concupiscentiæ tem- « pestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia gover- « nat, infirmior. » Didaeus Stella quoque juvenilem hanc ætatem ad mortem spirituales contrahendam, faciliorem esse considerat, dum ait: « Blande et « cum indulgentia in deliciis fuerat nutritus, quia

« filius erat, quæ mundanæ voluptates ad mortis « sepulturam plurimos deferunt. »

**15.** — Defunctus hic adolescens, id est, juven- culus erat in pulcherrimo ætatis flore constitu- tus, sua quoque gauderet libertate, utpote per mortem patris, a paternæ subjectionis jugo libera- tus; et tametsi matrem haberet, nullam tamen ab ea patiebatur materni onus imperii, quod vel inde colligitur, quia ipsa vidua erat, a qua proinde tenere amabatur, adeoque in lacu, butyro, lacte et melle redundante nutritæ, in summis vivebat deliciis, voluptatibus, omnisque generis recreatio- nibus, certatim ipsum cingebat omnium civitatis illius adolescentium turba, qui post mortem etiam illum amabant, qui ad tumulum usque illum sequebantur; imo aliqui putant, ipsum familiaritatem quamdam minus honestam iniisse cum Magdalena, nobilissima Castellæ Magdaliçæ domina et patrona; et tamen quo omnes hæc humane felicitates in fine causæ fuerunt? *Eccæ defunctus efferebatur.* etc. Unde merito cum S. Ephrem dicere possumus: « Ubi « juventutis flos et pulchritudo? Ubi venustus ille « genarum color? » Quisnam ipsum felicia et fortuna- nata victurum fuisse sæcula non credidisset? At vero verissimum semper est illud axioma Apostoli- cum, *I Thes., v, 3: Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

**16.** — S. Joannes olim equum vidit pallidum et extenuatum, *Apoç., vi, 8: Ecce equus pallidus et qui sedebat super eum nomen illi mors;* nam forte equum hunc, eo quod adeo languidus esset, lento gressu processisse existimabilis? Ita quidem aliquis credere potuisset, magno tamen errore deceptus; hic enim equus calcariis agitabatur, atque ideo gressus suos accelerabat; mors quidem juvenem secundum naturalem complexionis, ætatis et temperiæ cursum, in truncando vite filo ad senectutem usque tardare deberet; at vero si præter omnium expectationem, citius, eundem obruit, id culpa illorum accidit, eo quod mortem sibi accelerent, calcaria lateribus illius addendo; quenam autem esse putas hæc calcaria? *Stimulus mortis peccatum est;* etenim inordinationes et dissolutiones, quæ frequentant, quia juvenes ad voluptates carnales, ludos et rixas, hastiludia et quosvis alios excessus propensiores sunt, mortem illis opinione velocius accelerant. Bene igitur monet Ecclesiasticus, vii, 18: *Ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Jacob Patriarcha mortis vicinus, Josepho filio sibi assistenti, Rachelis matris suæ mortem in memoriam revocavit dicens, *Gen., XLVIII, 7: Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, eratque verum tempus et sepelivi eam juxta viam Euphratæ.* Hic utique Patriarchæ discursus in agonia, non sine mysterio, Josepho propositus fuit; per hunc voluit monere filium suum, quod, licet ipse in ætate decrepita

moretetur, non tamen exinde sibi magnam de morte procul absente securitatem promitteret, siquidem mater ejus in optimo ætatis flore, ex hac vita migrasset, indeque in ipso itinere, id quod multis quoque hodie accidit, qui priusquam designatum sibi scopum assequantur, in medio prosperiæ fortunæ cursu deficiunt. Moriebatur Rachel, quando tempus vernum erat, quando flores pullulare incipiebant; his enim vita humana congrue assimilatur, *Psal. ci, 15: Tanquam flos agris effloret. Sepelivi eam juxta viam Euphratæ,* hæc enim civitas omnium rerum abundantissima et deliciosissima erat, et tamen mortua fuit priusquam eo perlingeret, quia in ipso itinere mortua fuit. Ita quoque multis accidit: *Cum dixerint: Pax et securitas,* etc.

#### Matris suæ.

**17.** — Hanc circumstantiam ita discent Salmeron: « Erat unicus matris suæ; non patri suo « defuncto, nam fœminæ ardentius amant quam « viri, quia novem mensibus gestant, cum dolore « pariunt, proprio lacte nutriunt, est etiam plus « certa de prole, quod sit filius suus, quam pater. » Eandem quoque reflexionem fecit Toletus inquit: « Majori enim ac vehementiori dolore « afficiuntur matres, quam patres filiorum amissionis. » Albertus Magnus scribit: « Quæ ferventem in eo habuit amorem, quæ necessariorem « jam habuit robustam prolem; in quantum unicus, totus in eo matris fuit affectus. »

**18.** — Quis dubitat, matri huic summam fuisse de filii salute curam et sollicitudinem, omnemque ab ea, mediis abundantissimis, commoditatibus, impensis et servitiis, possibilem pro filii conservatione diligentiam adhibitam esse? Nihilominus illis potentior invaluit infirmitas et mors. Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. *Psal. cxxvi, 1.* Tres Christus suscitavit mortuos, quorum perpetuam fieri voluit in æternitatis annalibus memoriam, omnes tres nobiles, divites et juvenes fuere; Lazarus namque reliquus senior, xxx tantum annos habebat in resurrectione sui. Evangelica singularum historia per anni circulum, tribus distinctis diebus in Ecclesiæ prælegitur, sed hujus specialiter juvenis tertio fit mentio per annum. Primo in feria quinta Dominicæ quartæ Quadragesimæ, secundo in festo S. Monica, tertio hodie; id quod sancta Mater Ecclesiæ non alio fine facit, quam ut nobis jugem inculcet mortis memoriam, qui dum minime præsumimus, dum sanitati, teneræ ætati, commodis, complexionis et similibus confidentes, mortem procul a nobis abesse credimus, ecce in foribus adest, utique nulli non notissima est ista æternæ veritatis admonitio: *Qua hora non putatis filius hominis venire.* *Luc., xii, 40.*

#### Et hæc vidua erat.

**19.** — Toletus ait: « Vidua erat, quod multa « comprehendit; primo, quia non erat ei spes filios « recreandi, tanquæ levamen orbitatis assumendi; « secundo, unigenito mortuo nomen viro non su- « pererat super terram; tertio, hereditas ab ejus « stirpe transibat; quarto, reliquæ carnis ejus « periebant. » Iisdem quoque verbis et discursibus coram sapientissimo Davide usa fuit Tecuitis, docente nos Ecclesiastico, xxxv, 17: *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduam.* Aliam hujus rei causam assignat Albertus Magnus, inquit: « Ideo « ei robusta proles erat valde necessaria, non tam « pro filio, quam vice mariti, protectore domus et « familie. » Considerat Cajetanus, quod, licet ex Evangelicæ historie contextu deduci non possit, an juvenis ille conjugatus fuerit nec ne, ex ætate nihilominus colligi videatur, eum necdum matrimonio junctum fuisse: « Ea ætate apparet, quod non « relinquatur matri nepotem. » Verisimile vide- tur, viduam hanc conclusisse secum in statu persistere viduam, sine transitu ad secundas nuptias. Unde Salmeron: « Vidua erat, nam uxorata semper concipiendi habuisset alium; solent etiam viduæ sese « consolari de morte mariti presentia filii relicti. »

**20.** — Didaeus Stella inquit: « Et ob id non « minoris habita a Domino, nam coram oculis « Domini potius æstimatioe digni digni, qui a « mundo destituuntur, quam qui potentes sunt. « Tibi derelictus est pauper, ait Psalmista, orphanus « tu eris adiutor. *Psal. x, 14.* » Quot perfectionis summæ et sanctitatis suæ merita, eaque omnia eminentia, generosa Judith Deum oratura allegare poterat, et tamen ut ipsius omnipotentiam ad se in generoso illo, quod moliebatur, facinore juven- dam inflecteret, solum illi vidualem statum summi proposuit: *Subveni, quæso, Domine Deus meus, nihil viduæ;* nam D. Chrysostomus, *Hom. lxxix in Joann.,* ait: « Non parva vis lacrymarum viduæ est, sed « ipsum cælum possunt aperire. » Joab, ut Davidis animum ab Absalone plane aversum, ad impediendam ei paternam benedictionem inflecteret, potentius instrumentum invenire non potuit, quam viduæ cujusdam ei propositus preces, quæ se desolatam et afflictamungebat, *II Reg., xiv, 2: Lugere te simula, et dic: Heu mulier vidua ego sum, etc.* Ubi Abulensis ait: « Vocat se viduam, ut signet se « esse personam miserabilem, et moveatur facilis « Rex ad miserandum. » Ecclesiasticus quoque, *cap. xv, 18,* ait: *Nonne lacrymæ viduæ ad nuquillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eam? A mazilla enim ascendunt usque ad cælum.* Elias et Eliseus ad pauperule viduæ instantiam, prodigiosa patrarunt miracula, quam unquam in veteri Testamento a Prophetis, sanctisque Pa-



triarchis patrata fuisse legantur. S. Petrus pariter Tabitham viduam resuscitavit.

**21.** — Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, in festo S. Monicae hoc Evangelium legit, eo quod in hac matre vidua, sancta hæc mulier spiritualem filii sui mortem deplorans, ejusque conversio, ad vivum exprimitur. S. Chrysologus, *Serm. xix*, de anima peccatis immersa ita scribit: « Fit in corpore ris sepulchro vivo funus anime jam sepulta. » Et S. Ambrosius ait: « Quis est tumulus, nisi mali mores? » Sancta Mater Ecclesia, quæ per viduam figuratur, teste Hugone Cardinali dicente: « Vidua est Ecclesia, quæ a Sponso suo peregrinatur in terra, de qua in Psalmo cxxx, 15, dicitur: *Vidua ejus benedicens benedictam*; » hæc, inquam, Ecclesia tanquam spiritualis vidua pro animarum in peccatis viventium resuscitatione continuas Deo offert preces, ut a peccati morte resuscitentur.

**22.** — Sæpe contingit, quod viduarum filii educantur male, cujus ratio est, quia filii non illum erga ipsas respectum et timorem concipiunt, quem paternæ auctoritatis deferre solent; præterquam quod illæ hos nimis amantes, severe discipline rigoribus raro manum admoveant, quod tamen ad hujus ætatis fervores refrærendos unice est necessarium, fierique potest talem hanc matrem fuisse, quam proinde Deus punire volens, filium mori permisit; at vero quia Deus benignus et misericors est, *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit*, I Reg., II, 6, ideo ad ipsum in vitam revocandum commotus fuit, idque non modo in filii resuscitati, sed et matris omniumque circumstantium utilitatem.

*Et turba civitatis multa cum illa.*

**23.** — Toletus manifestum nobilitatis et opum hujus juvenis signum fuisse existimat, quod ab universa civitate certatim concurrente ad tumulum deductus fuerit; nam « hæreditas pinguis ad alienos devolvebatur unico hærede defuncto. »

**24.** — Albertus Magnus ad hunc populi concursum, qui supra modum numerosus erat, se reflectens, considerat, multos associasse Salvatore, alios vero defuncti hujus feretrum: « Turba cateratim ruit ad miranda facta Domini; unde multi hic erant cum Domino, multi cum vidua; isti mirabilia cernere cupientes, hi autem compassionis affectu miseram viduam prosequentes. »

**25.** — Lucas Brugensis illorum temporum morem fuisse autumnat, ut multi nimirum ad hoc misericordie opus convenire consueverint: « Observe, » inquit, « morem funeris, ut amici notique comitentur, nec abesse mater, qui mos non tantum exhibiti mortuo honoris officium fuit, verum etiam pietatis opus Deum gratum, » cui placent talia pietatis officia. » Ac proinde ecce tibi hisce retribuat remunerationem, qui huic

adeo grato Deo operi incubuerunt, nimiram presentes esse meruerunt huic miraculo, ipsumque salutare Dei videre et audire. David multis benedictionibus celestibus cumulavit illos, qui Saulis cadaver sepulture mandaverant; II Reg., II, 3: *Benedicti vos a Domino*, inquit, *qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelivistis eum; et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam*. Tobias huic exercitio operam suam impendens adeo placuit Deo, ut ad recipiendam copiosam hujus in mortuos impense pietatis retributionem, merita operis illius in celis ante thronum suum per Raphaelem Archangelum voluit presentari. Tres illæ devotæ Mariæ, quæ Redemptorem secute sunt ad sepulchrum, hanc sibi inde meruerunt prærogativam, ut primæ fuerint, quibus post suam gloriosam resurrectionem visibiliter appareret.

**26.** — Enimvero Abulensis obsequium et servitium, quod, defunctos ad sepulchrum comitando præstatur ex alio capite commendat: « Cum qui benefaciat homini presenti, a quo potest recipere vicissitudinem, non est admirandum; cum autem benefaciat mortuo, a quo non potest recipere retributionem, est magis admirandum. »

**Additiones.**

**a.** — *Cum autem appropinquaret porta civitatis, ecce defunctus, etc.* Nihil magis commune nationibus est quam quod suos mortuos queque efferat. Invenies forsitan gentes, apud quas reges arcibus lateant penetralibus, sese ambitiosus regni cubiuli tegant, ab oculisque hominum arceant. Nunquam tamen invenies gentes apud quas mortui non statim efferantur, publicisque conspectibus donentur, quod minime nature tribuerim, quam potius mortis pudeat, necessum est, sed divinæ providentiæ, cujus ea est maxima cura, ne mors ab oculis removeatur humanis. Mors enim ante omnium oculos versari debet, propter varia quæ inde nascuntur bona. Continua mortis, ut quis se ad eam præparet, nec timeat, memoria efficit, et meditatio, quæ simul et frenum est contra peccatum. Quodcumque peccatum ex mortis derivatur oblivione, quam in nobis procurare satagit dæmon, utpote sciens quod peccatum per mortis cogitationem melius quod sternatur. Mortis consideratio frenum est ad carnalem reprimendam concupiscentiam; grandium fastum atque superbiam dejicit; effiac est ad mundum ejusque illecebras contemendas. Mors ad perfectionis acquisitionem, virtutum christianarum exercitium, Deique servitium plurimum conducit, cor ab inordinatis purificans affectibus, virtutibusque exornans. Utinam ergo hæc Apostoli verba: *Quotidie morior*, fidelibus omnibus ad seriam quotidie fovendam mortis meditationem deservirent. Quo de exercitio S. Hieronymus ad Helio-

dorum ita scribit: « Platonis sententia est omnem Sapientem vitam meditationem esse mortis. Laude dant hoc philosophi et in celum usque ferunt; sed multo fortius Apostolus: *Quotidie*, inquit, *morior* per gloriam vestram; aliud est enim conari, aliud agere, aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. » Regula itaque ejuscumque Christiani, secundum quam suam instituat, dirigatque viam, quotidiana esse deberet mortis cogitatio: vivere moriturum. Quod utilissimum studium S. Ambrosius nobis persuadere conatur, dum ait: « Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri semper meminerim, quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam. Indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster, mala quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam suam ad hæc punienda deposcet. »

**b.** — Bene accedente Christo defunctus effertur, non permanet in civitate, quia anima animæ nostræ Deus est, quæ proinde sicut moritur dum Deum amittit, sic reviviscit dum Deum recipit. Experientia quotidiana comonstrat quod vita in corpore humano tunc deficit, quando ab illo anima ejus separatur. Eodem modo anima desinit vivere vita spirituali et æterna, quando Deus ab illa recedit, *Psal. lxxvii, 27: Ecce qui elongant se a te peribunt. Mihi autem adherere Deo bonum est*. Eisdem quippe effectus abcessus Dei spiritualiter in anima operatur, quos in corpore operatur corporalis recessus animæ ab ipso corpore humano. Unde Chrysologus ait: « Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine anima corpus non vivit; non vivit anima sine Christo. Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermes, et fit in sepulchro corporis vivo, funus anime jam sepulta, quamprimum Deus ab anima migravit, vita appetit, et passiones inordinate ferocire incipiunt: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Quis vivificare potuisset Adami animam, quando hæc ob ejus transgressionem derelicta fuit? Nemo utique; sed mansit instar jumenti cujusdam mortui. »

**c.** — Sacer Evangelista non explicat, a quibus adolescentem ille asportabatur ad sepulchrum. Sine dubio ab aliis adolescentibus, sociis et amicis. Moraliter hos portitores V. Beda describit: « Qui vero ad sepeliendum portant, vel immunda desideria, quæ hominem rapiunt in inheritum, vel lenocinia blandientium sunt venenata sociorum, quæ peccata nimirum, dum favoribus tollunt, accumulæ, peccantesque contemptu, quasi aggere

terre obruunt. » Quia autem per hunc defunctum peccator publicus denotatur, uti docent Beda, Haymon, Henricus, et alii; bene inquit Beda, per immunda et carnalia desideria hunc deportari. Vitium enim carnis, in Scriptura sacra inferni nomine appellatur, quia sectatores suos ad æternam perditionem perducit. Regius Propheta David Deo sapius in Psalmis ob animæ suæ ab inferno liberationem a Deo factam gratias agit, *Psal. xxxix, 4*, sic ait: *Domine, educisti ab inferno animam meam*. Et alibi dicit: *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me. Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. At vero quisnam est hic inferior infernus, a quo se liberationem esse, cum tam exaggerata gratiarum liberatio memorat? Certe nullus alius quam adulterium cum Bethsabea commissum, cui eoque cum scandalo publico immersus fuerat, donec jussu Dei a Nathan reprehenderetur. « Mens libidinis igne succensa, » inquit B. Petrus Damianus, « nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet et diabolus habitat, et concupiscentiarum ignis æstare non cessat? » Demum vero inordinatarum passionum et appetituum carnalium tyrannidem prosequendo dicit: « Hæc itaque que flebilis anima gehenna facta est, tartarus et infernus. »

**d.** — Pulchrum certe recipe salutis lubrica juvenuti his verbis præscribit S. Lucas medicus, quibus petit, ut lubrica juvenum hunc juvenem in flore ætatis suæ ad sepulchrum deportatum inspicat sedulo; ut in eo videant, ut in speculo, quid sint, et licet juvenes, quam facile tamen vitam cum morte commutare possint; tali enim consideratione liberabuntur ab aquis diluvii peccatorum maxime carnalium. Meditatio enim sepulchri quod carnem nostram in vermes et cinerem redigit, ad detestandam omnem delectationem carnalem optimum est remedium. S. Ephrem in sermone quodam, cujus titulus est: *In eos qui in Christo obdormierunt*, suadet ut mente nostra homines recolamus defunctos, qui nostri fuerunt in voluplatibus lascivis pertractandis complicæ et sodales: « Hic qui vestros ante oculos in sepulchro cernitur pulvis, iste quem conspiciatis cinis, hic fœtor, illa putrefacta ossa, immundi hi vermes, corpora quæ concupiscebatis olim. Hic cinis illa est caro quam complectebamini. » Non est nobis respicienda Jezabel, quando mundo suo muliebri ad stuporem exornata, fucata facie, ut regem Jehu ad illicitos seducat amores, prospicit per fenestram, IV Reg., ix, 30: *Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram*; quia ab hæc apparentia exteriori nimis facile nos decipi et seduci permittimus; sed consideranda nobis est eadem, quando in agro Jezrahelis, sive ut vult Abulensis, in eodem loco, in quem



alias committere delictandi causa divertere solobat, velat quoddam graviter olens morticinum jacet a canibus dilaniata: *In agro Jezabel comedent canes carnem Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ, ita ut prætereuntes dicent: Hæcine est illa Jezabel?* Quando enim Jehu illum precipitari jusserat, eandem sepulture mandare volebat, inquit sacer textus: *Cumissent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calceamentum et pedes, et summas manus.* Inspiciatis, obscuro, sepulchrum amasie vestræ et considerate illud bene, quod ex dilectæ vestræ cadavere reliquum reperietis; certus enim sum, quod attoniti dicetis: *Hæcine est illa Jezabel?*

e. — Defunctus iste erat adolescens, de quibus ait S. Chrysostomus, *Epist. ad Olymp.*: « In adolescentibus majus est naturæ incendium, major concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia gubernet, infirmior. » Deinde erat mortuus, et jam ad portas civitatis deductus, et ideo, ut docent Doctores hic, adolescens iste publicum ac manifestum peccatorem exprimebat; unde ait Eusebius, quod puella filia Archisynagogi, quam Christus suscitavit domi, *Matth.*, ix, 25, peccatorem occultum et absconditum denotabat. At vero hic defunctus, cum jam esset extra domum ac civitatem, et proximus ut in terram inferretur, publicum et notorium peccatorum designabat, qui in proximo est ut in æternum sepeliatur. Tales peccatores publici sunt scandalosi. Christus Judex severus quidem sed tanto justior in castigandis impiis, dum scandali meminisse vellet, minutorum hoc præmisit verbum: *Væ*; quæ particula æterni supplicii est imprecatio, ipsamque Salvator eodem tempore bis repetiit, dicens: *Væ mundo a scandalis; væ homini illi per quem scandalum venit.* Quod væ tanquam sulphur est, et pix ignis infernalis, æternum hoc concipiens incendium; scandalum namque ut plurimum, offendiculum est, et rupes, in quam impingentes, in barathrum precipitantur perditionis, quia ut S. Gregorius ait: « *Væ*, in « Scripturis sæpius de æterno luctu quam de præsentis solet intelligi. In Isaiâ: *Væ impiis in matum; Job: Væ mihi si impius fuero.* » S. Bonaventura dicit: « *Dictum vel factum minus rectum præbens « aliis occasionem ruine, scandalum Græce, Latine « obex; sicut ad obicem in via positum læditur pes « eunectis, sic dictum, vel factum minus rectum est « obex infirmis in via morum.* » S. Thomas de Villanova in sermone de S. Michaeli, qui proximo sunt causa peccati his verbis perterret: « Numquid « melius illi fuisset mille mortes subisse, quam « tanti reus criminis esse? O quam horrendum tibi « esse deberet, ut propter te perpetuo quis ardeat « in inferno? » Neque enim in illa abyso locum habet propositio illa qua dicitur: « Solatium est « miseris socios habere penarum, » quia per mul-

tiplicationem damnatorum augetur in quolibet ipso- rum pœna quæ accidentaliter vocatur; quanto igitur majora pœnae incrementa experietur, qui causa fuit perditionis multorum? Idem sanctus Archipresul subjungit: « Mallem utique fratres centum homines « corporaliter peremisse, quam unam animam per- « petuo incendio tradidisse, si ex solo damno culpa « pensanda est et non ex arbitrio. Si enim sanguis « Abel sic clamavit ad Dominum in fratrem occiso- « rem, quanto fortius clamabit sanguis animæ per- « petuo damnatæ in suum interfectorem? O quo- « modo conqueruntur, quomodo vociferantur? O « quomodo maledicunt et imprecantur omne ma- « lum apud Dei justitiam in eos, qui eis tanti mali « et miseriæ causa fuerunt et offendiculum pose- « rant, ut in tale præcipitium ruerent! » Tota Pentapolis igne consumpta fuit, quem divina justitia de celo misit ad castigandum hominum illorum execrabile et nefandum peccatum: nimirum etiam, in hac præsentis vita, in malitiam adeo detestabilem per sulphur ignis infernalis animadvertere voluit et quidem ut S. Judas Apostolus observat, ideo omnes æquali pœna puniti fuerunt, quia malum exemplum, ab uno in alium transfusum fuit: *Sicut Sodoma et Gomorra, inquit dicitus Apostolus, et finitimæ civitates, simili modo exornictæ et abentes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni panam sustinentes.*

f. — Defunctus ille adolescens, et sibi, et matri, longioris vite spem præbebat; hæc autem spes sæpe multum fallit. Quoties enim patres filiorum magis, quam filii parentum heredes fiunt? Ideo omnis ætas trepida esse debet, et de morte, et de genere mortis, et de hora mortis sollicita. Alii enim naufragio, alii casu aliquo et fortuna præmature intereunt; alii ferro, alii longa ægritudine, alii celeri, alii inopinata morte rapiuntur, quibus nec testamenta condendi, nec sacramenta percipiendi, quod est maxime formidandum, facultas suppedit, idque propter admissa peccata mortalia; peccata enim mortalia qui committunt, mortem sibi accelerant. Sapiens ait, *Prov.*, xxix, 1: *Viro, qui corripientem dura cervicis contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* S. Joannes, in Apocalypsi, vidit in visione quadam equum pallidum: *Et ecce equus pallidus et qui sedebat super eum, nomen illi, Mors.* Qui equum macilentum, debilem et emaciatum ad velocis gradiendum urgere contendit, admotis ad latera calcariis illum conculcit; sic enim in locum a se destinatum celerius appellit, quam si lentis gressibus procedere sineretur. Mors lento passu progreditur, atque ideo sæpe sexaginta, vel septuaginta elabuntur anni, priusquam ad ultimam suam metam, id est, ad lumulum hominem transvehat; at vero quando calcariis adigitur, mox properat et ex improvviso ad ultimam vite humanæ metam hominem portat, quando minus

id futurum erodebat; ac proinde dicebat Ecclesiastes, vii, 18: *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Sic Anastasio Imperatori, de sætate quatuordecim subtrahi sunt anni, quos alias super-victurus fuisset: « En ob tuam improbitatem, qua- « tuordecim tibi vitæ annos deleo. » *Baron. an. 518.* Regius Propheta ait, *Psal. xxxvi, 35: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi et ecce non erat. Quæsi vi eum et non est inventus locus ejus. Custodi innocentiam et vide æquitate.* Oseas Propheta, x, 1, de peccatoribus, divisum cor habentibus, disserens, punctum hoc de morte improvisa tangens, ita fatur: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ubi observandum est illud verbum, *nunc*, quod idem est ac si diceretur: In unico puncto, sive momento interibunt.

g. — Heu fallax hominum vitæ quæ præter spem omnem nimis tempestive abripitur in hoc adolescente! Ut bene hic quadret, quod D. Hieronymus ad Heliodorum, de nepotis immatura morte lamentatur: « Quod, » inquit, « juvenis exhibere senibus « debuit, hoc juveni exhibemus senes. » Ita huic adolescenti, quod juvenis matri exhibere debuit, hoc mater senex juveni exhibet. Sic mors, die et hora qua minus putatur, venit; quare in periculo perditionis suæ sunt qui penitentiam procrastinant. S. Cæsarius Arelatensis, *Hom. vi*, ita scribit: « Sed « dicit aliquis: Cum ad senectam venero, tunc ad « penitentiam medicamentum confugiam. Quare « hoc de se fragilitas humana præsumat, cum « unum diem vitæ suæ in potestate non habeat? « Quam multi se credunt longo tempore victuros « et ita illos mors repentina subtrahit, ut nec ad « illam momentaneam possint penitentiam perve- « nire? » Superbus ille et arrogantissimus Aman, qui typus erat peccatoris, nam *initium omnis peccati superbia*, quando in supremo fortunarum starum apice constitutus erat, seque a morte per multa iustra abesse putabat, præter omnem expectationem et plane ex improvviso, se ad idem patibulum, quod Mardocheo æmulo suo in domo sua præparaverat, divina vindicta ita disponente, se adjudicari audivit, ejusque deprecationes, surdas apud Assue- rum aures repererunt. Ita enim reprobus contingere solet: *Cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. I Thess.*, v, 3.

h. — Et hæc vidua erat. Videtur Deus cum hac vidua valde rigide processisse, idque contra regulam Spiritus Sancti dicentis: *Afflicto non addes afflictionem.* Viduitate enim illam jam afflixerat, nunc angustia sollicitudine, auferens ei filium quem ad consolationem dederat ei. Sed quæ vere viduæ sunt, id est, virtutibus deditæ, hæc servant regulam in afflictionibus, quam post se reliquit sancta Paula vidua, quæ in afflictionibus constituta, jugiter repe- tebat verba Isaiæ Prophete: *Ab lactati a lacte, tribulationem super tribulationem expectate.* Pro certo

tenens quod simul crescerent afflictiones et præmii lucrum; unde maxime Deo agende sunt gratiæ in afflictionibus, utpote ex quibus magnum lucrum capimus, demonium vincimus et salutem nostram, ad quam a Deo forsitan, magno prelo promote- mus. Recordamini ordinarum illius visionis, quam S. Joannes in Apocalypsi, circa innumerabilem cujus- cumque tribus Israel, Agnum, in throno suo considerentem laudantis et benedicientis, multitudine habuit, de qua dicitur: *Clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno.* Ubi S. Augustinus, cur ita elata voce intonarint, hæc reddit rationem, inquit: « Magna voce salutem Deo decantant, qui magna « gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, « sed ipso auxiliante, tribulationem impugnantium « superasse certamina. » Ii autem populi, unde venient, dum interrogaretur, responsum fuit: *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna et laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Ast si sanguinem profuderant, si inter angustias tribulati fuerant, qua ratione voces suas in gratiarum actionem erga Deum sublimare potuerunt? Respondet S. Antoninus: « Etiam in flagellis Deo est regalandum, « quod Job fecit, dicens: *Sicut Domino placuit, ita « factum est; sit nomen Domini benedictum.* Sunt enim « et ipsa Dei beneficia in salutem ordinata. » In cujus confirmationem, lib. II *Machab.*, vi, adducit textum ubi dicitur: *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultionem adhibere, magni beneficii indicium est.*

i. — Forte Deus abstulit illi filium istum ne forte nimia sua benignitate in filium gravia et sibi et filio damna conciliaret. Sicut enim nimis parentum rigor, sic et nimia in liberis benignitas culpabilis est. Id quod S. Apostolus Colossensibus, iii, 21, scribit: *Parentes nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant, idem quoque in Epistola ad Ephesios scripta, eisdem inculcarat, dicens: Vos parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Circa quæ verba S. Thomas distinctionem quandam adducit patris: « Notandum quod « aliud est principatus patris ad filium et domini « ad servum, quia dominus utitur servo suo ad « utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad uti- « litatem filii, et ideo necesse est quod patres in- « struant filios propter utilitatem ipsorum, non « tamen nimis arcedo, aut subiciendo et ideo « dicitur, *Coloss.*, iii, 21: *Patres nolite ad iracundiam « nem, etc.*, quia talis provocatio non animat ad « bonum. » Elias commentator Nazianzeni, de hac educationis materia disserens præcatum S. Pauli ad Ephesios textum adducit, eumque discrete locutum fuisse considerat, dicens: « Non dixit, amate, « hoc enim natura eos docet; verum, *nolite ad iracundiam provocare*; ipsos videlicet exheredando « atque abdicando, aut etiam gravia quedam et



« servilia ipsis imperando. » Parentes enim reprehendere quidem, nec non si opus est verberare debent filios suos, sed semper tanquam patres et magistri, non vero sicut iectores et carnifices. Saepe reperitur filiorum nonnulli indolis adeo nobilis et generose, ut ad virtutem non per minas, sed per benignitatem inducantur, adeo ut rigor illos potius perversiores efficiat. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis parentes illos, qui in sola virga confidentes, filios suos gubernant, his verbis alloquitur: « Solis eos percussioibus et flagellis ad mores « bonos vultis informare? Vidistis unquam aurificem ex lamina auri, vel argenti percussioibus « imaginem speciosam formasse? Non puto: quid « tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, « nunc eam suo instrumento leniter premit et percutit, nunc discreto levamine lenius lavat et « format; sic et vos, si pueros vestros cupitis ornatos moribus esse, necesse est, ut cum depressioibus verberum impendatis eis paternæ pietatis « et mansuetudinis levamen, atque subsidium. » D. Chrysostomus scribit, se frequenter pessimium vidisse illorum filiorum exitum, qui a parentibus nimium amati, extra omnem ab illis disciplinam sunt relictis; dicit enim: « Dum inordinate, ac « dissolute viventes castigare, verbis reprehendere, « aut contristare filios nolunt, vidi sæpius in flagitiis deprehensos, in carcere abripi et a carnificibus capite plecti. » Idem quoque S. Doctor pergit ulterius ostendere ignominiam, quæ in eisdem parentibus resultat, dum ab aliis digito monstrantur, tanquam peccatorum a filiis commissorum auctores, eo quod eosdem tempore congruo non castigant: « Cum ipso damno, » inquit, « major « ignominia noscitur, omnibus scilicet illo e medio « sublato ejusmodi patrem digito monstrantibus et « forum penitus ipsi inaccessum facientibus. » Cum filii Heli post profanatum sanctuarium, factasque extorsiones sacrilegas, divinæ justitiæ aream fulminibus onerasset, Deus Prophetam Samuelem misit, qui Dei furorem, quem peccatis suis extorserant, insinuaret. Sed ad quem illum oblegavit? Ad Heli: sed numquid filii ejus erant, ii qui deliquerant? Annon Heli vir rare innocentie cultum Dei in omnibus zelaverat? Verum quidem hoc est, sed nimis tener amor, quo filios suos prosequeretur causa fuit, cur dum illos nimis benigne corrigeret, hi se nec quidquam emendarint, ac proinde omnes a filii commissos excessus, ipsi tanquam cause impulatus fuit.

## VERBUS 13.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus  
super eam, dixit illi: Noli flere.

Quam cum vidisset Dominus.

1. — Regius Propheta ad perpetuam memoriam

conscribi voluit, quod Filius Dei suum in terram delixisset oculorum obtulatum, *Psal. ci, 13: Scribatur hac in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum; quia prospexit de excelsis sancto suo, Dominus de celo in terram aspexit; sed quænam fuit hujus aspectus utilitas? Ut auferret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum, ut annuntiant in Sion laudem Domini, et laudem ejus in Jerusalem; quæ omnia in casu hoc nostro adimpleta fuerunt: siquidem hic Christi viduam suspicientis obtutus serenat tristitiam omnem, desolatam viduæ detersit lacrymas, ejusque filium a morte liberavit; ac denique causa fuit hujus admirationis, qua miraculum hoc ad ejus gloriam, circumstantes in Sion et Jerusalem divulgarunt, acclamantes: *Propheta magnus, etc.**

2. — Jansenius ait: « Cujus occursum et obtutus « semper felix est et faustus. » In Gerasenorum demoniacis illis occurrit duobus, eosque confestim sanavit; in Petrum et Andream oculos suos delixit, et subito ex piscatoribus Apostolos fecit; intuitus est Levi Publicanum, et ex mensa collibystica ad apostolatus dignitatem evehit; vidit paralyticum in piscina, eumque sanavit; oculum suum in cæcum natum conjecit, eumque protinus illuminavit; respexit in atrio Petrum, qui illum negaverat, eumque ad penitentiam induxit; « sic et modo « occurrens viduæ, eamque flentem videns, misericordus est ejus. » Dionysius Carthusianus ait: « Cum « non solum exterioribus oculis eam inspexisset, « sed et interioribus oculis sue sapientiæ ac misericordie ejus mororem pensasset. »

## Misericordia motus super eam.

3. — Idem Carthusianus legit: *Ei compatens;* hujusque compassionis aliqua in benignissimo Domino motiva considerat, quorum primum est, quia hujus matris filius erat; secundo, quia erat illi unicus; tertio, quia vidua, a marito ac demum etiam a filio derelicta erat; quarto, quia eo tempore mortuus fuerat, quando in ætate ad prolem gerendam sufficientem constitutus erat; quinto, quia labores et molestias, in ejus educationem, multis annis adhibitas simul omnes infructuose amiserat. Salméron in textu Græco legi notat: *Ex intimis visceribus misertus est illi.* Porro qualiter hæc misericordia intelligenda sit, Lucas Brugensis declarat, dicens: « Est misericordia, alienæ miseriæ in cor « proprium admissio. »

4. — Toletus duo in misericordia ponderari posse considerat: nimirum voluntatem subveniendi alienæ miseriæ, et hæc ad superiorem animæ portionem pertinet; deinde tristitiam, qua cor ob eandem miseriæ afficitur, eaque in portione sensitiva residet, et hæc est, quæ ad subventionem præstandam nos movet: « Hunc Christus sicut et « reliquos affectus pro sua voluntate assumebat,

« quod nobis commune non est, quibus affectus « frequenter in nostra potestate aut voluntate non « sunt; dicitur igitur misericordia commotus, quia « non modo voluit subvenire, sed etiam dolorem « et compassionem in se excitavit de viduæ passione « ac miseriæ. »

5. — Dionysius Carthusianus existimat, quod motivum hoc misericordie et pietatis Christi, fuerit potius in ordine ad periculum animæ quam corporis hujus juvenis: « Quia adolescentes solent esse ad « mortem minus dispositi, eo quod homines, in illa « ætate consueverunt esse lasciviores, instabiliores, « et minus experti. »

6. — Basilii Seleucus, *Orat. x*, hæc misericordiam attribuit lacrymarum et planctus efficacie, divinæ pietatis attractivæ: « Viduæ lacrymæ, » inquit, « unigenitum Jesum traxerunt ad restituendam unigenitum vitam. » Toletus ait: « Lacrymæ « matris filio impetrarunt vitam. » Unde D. Chrysostomus, *Serm. cii*, hæc deducit consequentiam, nimirum Deum nostrum in necessitatibus et calamitatibus publicis, multo magis ad fletum et penitentiam Ecclesiæ suæ reflectendum esse: « Si « enim ad unius viduæ lacrymas temporales sic « motus est Christus, ut ex oculis stillantium « dolorum fluentia restingueret, ut resuscitaret « corpus, vitam reduceret: quid modo faciet, « quando inardescit viribus suis ad Ecclesiæ suæ « lacrymas duntaxat, ad sanguineo sponse sue « sudores? nam per supplicentem Ecclesiam lacrymas fundit juges, per Martyres sacrum sanguinem sudat, donec unicum suum, hoc est, « populum Christianum de mortali feretro Christus « æternæ vitæ reddat. »

7. — Toletus Christum ad compassionem motus fuisse dicit, non ob mortem filii, sed matris afflictionem et miseriæ, quam ex hac jactura patiebatur: « Compassus est Christus ratione « humane naturæ, viduæ lacrymis ac calamitati, « non filii, qui ab hujus sæculi calamitatibus « ereptus fuerat. » Lucas Brugensis pariter ait: « Non misertus filii, qui miseriis mundi jam erat « ereptus, sed matris, inter mundi miseriæ fluctuantis. »

8. — Idem quoque considerat, Christum in hac occasione non expectasse, donec ad faciendum hoc miraculum et mulierem consolandam rogaretur: « Non continet gratiam suam, donec rogaretur, « quemadmodum alias, sed omnium preces antevertens, matri nihil tale expectanti, ultro beneficium confert, sola movet misericordia; tanta est « ejus ad sublevandum hominum miseriæ promptitudo. »

9. — Jansenius aliud quoddam punctum tangit, quod etiam Toletus considerat, dicens: « Perfectam « misericordiam Dominus hic exhibet, dum et in « corde movetur misericordia, et verbis eam con-

« solatur, et ipso facto miseriæ viduæ sublevare « studet. » Toletus pariter scribit: « Hæc enim est « misericordia perfecta, quæ non tantum cordis « compassione, nec solis verbis continetur, sed « effectum simul ac opere auxiliatur. Christus autem « tria voluit adhibere, ut nemo imitatione careret; « qui enim nec verbo, nec opere misereri potest, « habet quod imiletur in Christo, ut solo corde « compatiatur; et qui potest etiam verbo, id si « faciat, Christo similior erit; similissimus tamen, « si etiam effectu. »

## Dixit illi: Noli flere.

10. — S. Bonaventura ait: « Quia misericordia « latens in affectu, apparet in effatu, dixit: *Noli « flere*, benigno sermone eam consolando. » Albertus Magnus ait: « Ecce consolatio affatus; » adducitque illud Isaie, *lxvii, 43: Quomodo sicut mater blanditur, ita ego consolabor vos.* Et Jeremias, *xxxi, 16: Quiescat vox tua a ploratu; et oculi tui a lacrymis.*

11. — Didacus Stella hoc loco sequens movet dubium: « Quomodo dicit, ut non fleat cum Sapiens « dicat, *Eclii., xxii, 10: Super mortuam plora; « quoniam deficit lux ejus.* Et Ecclesiasticus *xxxviii, « 16, inquit: Fili in mortuum producit lacrymas,* » adducitque exemplum ipsius Christi, qui in morte Lazari levit; sed ad hanc difficultatem ex sacris « Expositoribus facile respondetur. Bæda dicit: « De- « siste quasi mortuum flere, quem mox vivum « resurgere videbis. » Et Jansenius pariter ait: « Non enim defendenda erat mors ejus, qui mox « majori cum gloria et lætitia matris erat victurus. »

12. — Fletus est pretiosissimus thesaurorum in terris, siquidem cum universo auro Peruano, vel unius duntaxat peccati mortalis contractum debitum solvere non possumus, cum tamen per modicum fletum et unicam lacrymam innumera debita, quæ penes divinam justitiam contraximus, exolvere valeamus. Unde Simon de Cassia ait: « Nil plan- « gendum hominibus, quam peccatum, solum enim « peccatum justam habet materiam deplorandi, « Vult fletum Deo fieri pro spiritualibus malis, « non autem pro corporalibus damnis. » Opportune proposito nostro serviunt verba illa Chrysostomi, *Hom. xxii ad populum: « Beati qui lugent, non mor- « tuum, non jacturam, sed peccatum. »* Quid si aquam aliquam haberes, quæ ad curandum oculo- rum infirmitatem nonnisi a magno quodam Principe comparari posset, nonne magna foret stultitia, si eadem ad pedes lavandos uteris? Fletus, qui ex motivo supernaturali funditur, donum est Altissimi, quem is nobis ad sanandas animæ infirmitates concedit: quæ igitur est nostra stultitia, quod illum pro rebus temporalibus, de quibus Apostolus ait: *Omnia arbitror ut stercore?* Jeremias, *ix, 20* Deum mulieribus Jerosolymitanis præcepisse refert: *Docete*



filias vestros lamentum, et unaquaque proximam suam plangentem. Mirum sane præceptum, quod quis alium ad fletum erudire jubeatur, quando hic a passione interna, non vero ab artificio humano derivatur! nimirum Deus vult, ut finem et motiva illas doceant, ob quæ plangere debeant, et quam in rem hoc tanti valoris pretium adhibere. Petrus Cellensis de pane lugentium ait: « Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum. » Chrysostomus in persona Christi loquens, *Hom. vi in Matth.*, ait: « Illas ego requiro lacrymas, quæ non ostentantur proficiunt, sed compunctioni. »

**13.** — Est et alia ratio, ob quam Sapientia incarnata moveri potuit, ut matrem hanc flere prohibuerit, ea nimirum, quam tangit Apostolus, *I Thess.*, iv, 12, iniquis: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent; si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Unde S. Ambrosius ait: « Flere prohibet eum, cui resurrectio debebatur. » Jansenius autem aliam conditionem adjungit, cur flere prohibemur, dum inquit: « Christus docet ob spem resurrectionis, mortem amicorum non defendendam immoderate; » et Didacus Stella pariter ait: « Non prohibet pias lacrymas, sed immoderatas; deinde non plorandi sibi illi, qui in Christo moriuntur. » S. Augustinus de morte suæ matris tractans, dicit: « Neque enim decere arbitrabamur, funus illud quæstibus lacrymosis, gemitibusque celebrare, quia his plerumque solet deplorari quædam miseria morientium, aut quasi omnimoda extinctio; at illa nec misere moriebatur, nec omnino moriebatur. » S. Hieronymus ad S. Paulam ad mortem Blesillæ ita scribit: « Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit. » S. Bernardus de morte fratris sui ita scribit: « Videmus mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum nullam et fructum nullum; plorantur damna gloriæ carnis, vitæ presentis commoda, sed plorandi, qui illa plorant. » Idem in transitu Malaehie notabilem hanc scribit sententiam: « Triplex in morte congratulatio est; homines ab omni labore, et peccato, et periculo liberari. » Et vero si in transitu ab hac vita in aliam, nullam haberemus aliam consolationem vel lucrum, multum profecto ponderandum esset illud, quo dicitur per mortem a peccato liberari; *Psal.* cxliii, 7: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus;* siquidem ut S. Augustinus notat, *Serm. 1 de verb. Dom.*: « Inter casus ambulamus, si vitæ essemus, minus casus timeamus. » At vero ut S. Job, xiv, 1, ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis;* etenim homo in hac lacrymarum valle vivit, imo agonizat, cinctus undequaque ærumnis

innumeris. *Circumderunt nos mala, quorum non est numerus.* Idem S. Augustinus, *Serm. xii de verb. Dom.*, ait: « Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? » amas ergo istam vitam, ubi tantum laboras? S. Hieronymus in epistola ad Nepotianum dicit: « Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi absens, non quasi mortuus, ut illum exspectare, non amisisse videaris; non tam plangendus est, qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei, qui de tantis malis evaserit. » Dato casu, quod hic juvenis mortuus, damnatus fuisset; etiam ex hoc capite, posito, quod diutius supervivendo non fuisset emendatus, magnum ejus lucrum fuit, quod mortuus sit juvenis, quia diutius vivendo, plura sibi ligna, id est, plura peccata ad ignem infernalem adaugendum accumulaturus fuisset, *Apoc.*, xvii, 7: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit tantum date illi tormentum;* quod si opposueris, inquit Chrysostomus, *Hom. xii in Matth.*, quod si hic juvenis in ætate matura mortuus fuisset, reddendus utique fuisset ad penitentiam, respondeo: « Si penitentiam essent acturi, Deus cui omnia patent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset; » ita de impiis loquitur.

#### Additiones.

**a.** — *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus, etc.* Magnam hic sacer Evangelista commemorat Domini pietatem, ac benignitatem, dum inquit, quod Dominus misericordia motus fuerit, simulque commendat nobis excellentiam, ac magnitudinem beneficii, quod ex intimis misericordie visceribus processit, quæ supra molliorem inclinata sunt; et in donis plus, quam datum, internus affectus, ac animus æstimandus est, ac in majori pretio reputandus. Hoc et tu perpende diligenter in exercitio eleemosynæ, quam quilibet, quantumvis pauper, dare potest, quia Deus affectum potius nostrum pensat, quam effectum. Æternitatis perpetui annales heroicum illum celebrabant S. Martini actum, quando miles existens, mediocriter clamaydis suæ militaris pauperi donavit, præ frigore trementi. Causamne nostis, cur Christus in conspectu omnium Angelorum, totiusque cæli, tam gloriosam nocte insequenti ostentaverit pompam, dicens: « Martinus adhuc cathœcumenus hac me veste lexit? » Totius magnificentie origo, tantillum extitit partis pallii quam omnibus pretiosissimis, regum, imperatorum, totius mundi monarcharum paludamentis, imo ipsomet sibi per Salomonem erecto inestimabilis valoris templo dedit cariorum; siquidem de nullo horum constat quod simili complacentiæ signum circa illa ediderit Deus. Cujus hæc unica ratio assignari potest, quia scilicet Deus excessivum respexerat affectum, quocum S. Martinus dictam vestem donarat, cognoveratque, eum omnes totius mundi thesauros, si illos

habuisset, in pauperes erogaturum fuisse. Ideoque Cæsarius Arelatensis ait: « Non copia largitatis pascitur Dominus, sed benevolentia largientis. »

**b.** — Vidua flebat et lacrymis ejus movebatur Dominus ad compassionem; non enim habebat cor lapideum, ut multi hodie dum Christiani, qui licet mille adiant lacrymas pauperum et viduarum, vix commoveantur ad dandam modicam eleemosynam, aut si aliquam elargiantur, quasi coacte, verbisque duris deturpant eleemosynæ candorem. Eleemosyna enim voluntarie, bonisque verbis instituenda est. S. Apostolus de misericordia, qua alienis necessitatibus subvenire tenemur disserens, substantias nostras cum hilaritate communicandas esse docet, dum ait, *II Cor.*, ix, 7: *Hilarem datorem diligit Deus.* Idem pariter ad Romanos, xii, 8, de eleemosyna scribens eodem loquendi modo utitur, dum inquit: *Qui miseretur, in hilaritate.* Ecclesiasticus quoque, *cap. xxxv*, 11, diu ante ipsum, hoc idem tradiderat documentum, dicens: *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sciendum quoque S. Paulum subsidium pauperi erogatum appellasse benedictionem, dum ait: *Qui seminat in benedictionibus;* ubi Cajetanus ait: « Eleemosynam appellat benedictionem, eo quod suapte natura eleemosyna debet esse non solum beneficentia, sed benedictio; debet enim constare non solum ex benefacto sed ex benedictio, debent siquidem adesse cum bonis factis bona verba. » Quando enim pauper cum hilaritate recipit, simulque cum nummo, vel alio ei porrecto subsidio, bona illi verba dantur, clare per hoc indicatur quod eleemosyna libenter, et non invito animo tribuatur. In Ecclesiaste, xi, 1, hoc nobis consilium suggerit: *Mitte panem tuum super transuentes aquas;* quæ verba S. Bonaventura de subsidio necessitatem patienti porrecto exponit, dicens: « *Mitte*, id est, libenter et liberaliter dare, non per extorsionem et quasi coactus. Transuentes aquæ sunt pauperes et afflicti, qui per tribulationes transunt ad requiem: talibus est eleemosyna facienda. » S. Bernardinus eleemosynarij conditiones recensens, illi quatuor sequentes condiciones necessarias esse dicit: « Primo juvenem affectum; secundo hilarem vultum; tertio suave verbum; quarto, promptum effectum, seu modum. » Dicit enim Ecclesiasticus, iv, 3: *Non probatur datum angustianti.* Et *Prov.*, iii, 28: *Ne dicas amico tuo: Vade, et cras tibi dabo, cum statim dare possis.* Similiter *Job*, xxxi, 16: *Si negavi quod volebam pauperibus, et oculos viduæ expectare feci.* Scilicet, inquit S. Bernardinus, « sicut faciunt quidam insensibiles et insensati qui pauperibus pro eleemosyna ad ostium eorum accelerantibus, diu nihil respondent; demum dicunt: Vadas cum Deo. Unde Seneca: Nihil carius emitur, inquit, quam quod multis precibus comparatur. »

**c.** — In hac vidua agnosces quod eadem via qua

ad tribulationem ducaris, eadem quoque versis passibus, et gressibus tibi auxilium et consolationem maximam a Deo occurrere. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratum mensuram consolationum spiritualium crescit, imo et semper superexcedit abundantia. Spiritus Sanctus suavitate, animabus timoratis colitus communicari solitam, melli assimilans, ait: *Spiritus meus super mel dulcis.* Cur non potius ambrosiæ, nectari, aut saporifero manna equiparavit? Notate mysterium. Mel fabricatur ab apibus pungenti armatis aculeo; dulcedinem spiritus amaritudo corporis comitetur oportet; non enim illa sua nos dignatur presentia, nisi hæc dispositionem fecerit præviam. Promissionis recordamini, quam Elias Propheta viduæ fecit Sareptanæ? *Lecythus olei non minuetur usque in diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ,* *III Reg.*, xvii, 14; quasi diceret: Oleum tuis abundabit in ædibus, quanto tempore fames et annonæ caritas prævaluerit; ut discamus lætitia spirituales, afflictionibus commensurari temporalibus, juxta alterius Prophætæ vaticinium, diceatis, *Psal.* xxxiii, 19: *In diebus famis saturabuntur.* Et contra medias inter prosperitates penuria prementur; quemadmodum S. Basilus Seleucus, *Orat.* xxxiii, advertit inquit: « Ut cecidit pluvia, avolarunt dona Eliæ, et finem habuit per cretum erratio, ac deinde consuetum naturæ panem terra oculis sciebat, tunc æ manna profusio contracta est et celeste promptuarium hominibus ocellum. »

**d.** — *Dixit illi: Noli flere.* Quam male impenduntur lacrymæ ob mortem filii, quem tamen non possunt resuscitare, neque sunt alienis utilitatis. Unde bene dixit Simon Cassianus, *lib. V, cap. xii*: « Nil plangendum ab hominibus quam peccatum. » Solum enim peccatum justam habet deplorandi materiam. Vult Deus fletum fieri pro spiritualibus malis, non autem pro corporalibus damnis. » Hincque patet quanto pluris faciamus aliquando ea quæ corpus spectant, quam quæ animam concernunt, quod inconveniens est. Quæro te, quisquis es, quidnam majoris facias, vestemne an corpus quod tali veste contegitur? Utiq; nisi delicias sis, respondebis stolidum esse eum qui pluris vestem æstimet quam corpus; numquid vere ita est? Et tamen hæc est innumerabilium hominum ingens stultitia, quod tametsi alias in cæteris sensati sint et sapientes, corpus tamen, quod nihil est aliud quam simplex quædam animæ vestis, majori in pretio habeant, quam animam. S. Ambrosius verba illa hominem mollibus vestitum indumentis, ponderans, de his vestibus dicit: « Humana corpora quibus anima nostra vestitur; » et alibi quasi idem dicit, dum ait: « Anima corpore velut calcæmento utitur. » Quid de illo diceres qui pluris calcæm æstimaret, quam propriam vitam? Utiq;e